

*servum? Suo domino stat aut cadit.*¹ Ac si diceret: Si ille quod male accepit usurpando *thesaurizat sibi iram in die ire iusti iudicii Dei*², tu sub eo positus exercendo patientiam *in patientia tua possidebis animam tuam.*³

20 Dicis vero mihi: scio evidenter, quia symoniacus est, quia a Deo alienus est, quomodo illi communicare audebo? Accipe: sciebat evidenter et dominus, quia Iudas fur erat, quia proditor erat, quia et diabolus erat, dominus inquam qui Iude subditus non erat, immo magister et dominus Iudæ erat, et tamen cum illo edebat, bibebat et in nullo a communione sua eum amovebat^a, donec aperte malitia illius detecta in semet iudicando se ipsum indignum et exortem exivit a consortio aliorum. De illis quidem, qui faciunt et consentiunt, debitum iam dudum controversia finem accepit. Facientes inquit et consentientes pari vindicta plectentur.⁴ Agimus tantummodo de illis, quos velint nolint necesse est esse sub illis.

21 Queris: quid^b iuvat indulta ab illis peccatorum^c remissio? Nil quidem obest, immo iuvat et prodest, si animo fideli queritur, debito penitendi ordine expetitur et quasi a vicario Dei excipitur. In Ysaia scriptum est: *narra, si quid habes, ut iustificeris.*⁵ Dominus vero dicit in evangelio leprosis: *ite, ostendite vos sacerdotibus; et dum irent, mundati sunt.*⁶ Quandiu ergo in ecclesia Dei sacerdotis officium symoniacus gerit et Deus^d id eum gerere sinit, tu qui sub ipso sacerdote vivis, vade, ostende te sacerdoti, narra, si quid habes ut iustificeris, quia ab homine non optinetur iustificatio, set a Deo. Si sacerdos iustus est, iuvant quidem preces eius, iuvant merita eius, set gratia Dei te iustificat. Si sacerdos iustus non est, iuvat quidem cordis tui mansuetudo, iuvat exhibita illi propter Deum debita summissio, set gratia Dei te iustificat. Sicut enim de baptismo evangelium dicit: *hic est, qui baptizat*⁷, Deus videlicet, quisquis baptismi minister existat, ita de omni sacramento seu gratie Dei dono apostolus ait: *hec inquit omnia operatur unus atque idem spiritus dividens singulis prout vult.*⁸ Ac si diceret: quisquis sacramentorum executor sit in quolibet genere sacramenti, semper unus atque idem spiritus operatur gratiam et

a) ammovebat

b) quit

c) pecca[c]atorum

d) fehlt

¹⁾ Rom. 14, 4.

²⁾ Rom. 2, 5.

³⁾ Luc. 21, 19.

⁴⁾ Cf. Rom. 1, 32.

⁵⁾ Jes. 43, 26.

⁶⁾ Luc. 17, 14.

⁷⁾ Joh. 1, 33.

⁸⁾ 1. Cor. 12, 11.